

(*categoriae*) debetur proprius modus praedicandi <sup>1</sup>; e. g., in prima categoria, quae est substantia, significatur *esse per se*, in reliquis novem, quae sunt accidentia, significatur *esse in alio*, et in singulis harum specialis modus *essendi in alio* invenitur. Ergo ens per categorias tamquam genus per species non dividitur.

115. *Probat*ur altera pars. Unaquaeque categoria certum, et peculiarem modum entis significat. Ergo ens per categorias dividitur tamquam per diversos modos, secundum quos ens et esse, et intelligi potest <sup>2</sup>.

## CAPVT VII.

De categoriis speciatim consideratis <sup>3</sup>

## ART. I. Notio substantiae declaratur

116. Substantia, prout categoria est <sup>4</sup>, describitur, ut iam in *Logica* diximus <sup>5</sup>, *res, cui convenit esse in se, et non in alio, sive non in subiecto*. Ad hanc substantiae notionem declarandam, explicandum nobis est 1° cur substantia dicatur non iam ens, quod est in se, sed res, cui convenit esse in se; 2° quid sibi velit *esse in se, et non in alio*.

117. Quod attinet ad primum, in memoriam revocandum nobis est substantiam, aequae ac quamlibet categoriam, esse quemdam specialem modum, quo aliqua res *actu* est in natura, ac proinde ipsam intelligi non posse, nisi in ea et aliquid, quod quodam modo est, et quidam modus, quo ipsa *actu* est, distinguantur. Hanc ob rationem substantia dicenda non est ens, quod est in se, aut per se, sed res, cui convenit esse in se, aut per se, ut significetur discrimen inter ipsam rem, et modum,

<sup>1</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XXII, q. I, a. 3 ad 2. Ens autem non praedicatur de categoriis *aequivoce*, sed *analogice*, quia ens de substantia, et de diversis accidentibus non sine aliquo ordine unius ad aliud praedicatur; siquidem, cum accidens substantiae inhaereat, *esse* eius ab *esse* substantiae pendet, ac proinde *esse* primo de substantia dicitur, deinde de diversis accidentibus. Cf. quae diximus in *Logica*, loc. cit., p. 15, vol. I.

<sup>2</sup> Cf. s. Thom., *Qq. disp.*, De Ver., q. XXI, a. 1 c.

<sup>3</sup> Categoriarum numerum exposuimus in *Log.*, loc. cit., art. 6, p. 15, vol. I.

<sup>4</sup> Diximus, prout categoria est, quia vox substantiae aliquando adhibetur ad significandam essentiam, vel naturam rei, vel formam, aut materiam, aut quidquid ex utraque quasi conflatum est.

<sup>5</sup> Loc. cit.

quo *actu* est in rerum natura, sive inter *esse* essentiae, et *esse* existentiae <sup>1</sup>.

118. Quod ad alterum spectat, in notione substantiae illa verba *esse per se*, sive *esse in se* excludunt inhaerentiam in subiecto, sive denotant illud, quod dicitur substantia, non habere *esse* suum in alio, tamquam in subiecto, sed non remouent a substantia causam effectricem suae existentiae, sive non denotant ad notionem substantiae pertinere, ut *esse* suum ab alio non recipiat, nam substantiae creatae *esse* suum a Deo accipiunt <sup>2</sup>.

119. Iamvero res, cui convenit *esse in se, non in alio*, substantia ex eo praecipue nuncupatur, quod est accidentium subiectum, ac proinde *sub* accidentibus *stare*, hoc est, accidentibus *subesse* intelligitur. Substantiam autem *esse* subiectum accidentium ita demonstratur: Si subiectum accidentium non esset substantia, oporteret esse aliud accidens, et quoniam hoc accidens, non secus ac omne aliud accidens, expostulat subiectum, in quo insit, progressus in infinitum admittendus esset. Atqui huiusmodi progressus, omnibus fatentibus, est absurdus <sup>3</sup>. Ergo subiectum accidentium est substantia.

## ART. II. Definitiones substantiae a nonnullis Philosophis traditae exploduntur

120. Ex principiis, quae in praecedenti articulo exposuimus, sequentium propositionum demonstrationem conficimus, quibus sententiae aliquorum Philosophorum circa substantiae notionem absurdae produntur.

Prop. 1°. *Absurda est sententia Lockii, nempe substantiam esse a complexionem qualitatam, quas sensu percipimus, ignota ratione coexistentium* <sup>4</sup>.

*Probat*ur. Si illud, quod in rebus veluti substantiam concipimus, non nisi qualitatam complexio esset, qualitates, vel quali-

<sup>1</sup> Cf. s. Thom., I, q. III, a. 5 ad 1.

<sup>2</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. 1, a. 2 ad 2.

<sup>3</sup> Hinc s. Thomas adnotavit, si quandoque accidens est subiectum alterius, uti, e. g., superficies est subiectum coloris, id ei convenire per substantiam, cuius est accidens; *In lib. I Sent.*, Dist. III, q. IV, a. 3 ad 2.

<sup>4</sup> *Op. cit.*, lib. II, c. 23, § 1 sqq. Hanc Lockii opinionem, praeter omnes sensistas, David Humius, utpote scepticismo suo faventem, lubenter amplexus, substantiae notionem absurdam esse, ipsumque nostrum animum non nisi quamdam phaenomenorum complexionem esse effutivit.

tatum complexio eiusmodi essent, ut subiectum, cui inhaereant, haud expostularent. Atqui notio tum qualitatis, tum qualitatum complexioffis, quae natura sua non expostulat subiectum, cui inhaereat, se ipsam destruit; nam qualitates habent esse accidentale, ita ut eae non dicantur esse, sed *inesse*<sup>1</sup>; ac proinde necessario subiectum, cui inhaereant, expostulant<sup>2</sup>. Ergo notio substantiae a Lockio tradita absurda est.

121. Neque qualitates ex ipsa sui complexione vim existendi in se, nempe sine subiecto, accipere possunt. Etenim, si qualitas subiectum, ad quod refertur, natura sua exigit, id potiori iure de complexione qualitatum dicendum erit. Adhaec, complexio qualitatum sine quodam communi vinculo, per quod in se esse possit, cogitari nequit. Atqui hoc commune vinculum non in aliquo, quod etiam qualitas sit, sed in aliquo a qualitate diverso inveniendum est; quia, cum qualitas accidens sit, illud efficere non potest, ut complexio qualitatum in se esse dicatur<sup>3</sup>. Ergo complexio qualitatum aliquid a qualitibus diversum, a quo sustineatur, nempe aliquid subiectum expostulat.

122. Ex his colligitur notionem subiecti, tamquam diversi a qualitibus, nempe substantiae, esse realem, non vero quemadmodum ipse Lockius blateravit, nostrae mentis figmentum.

123. Prop. 2<sup>a</sup>. *In notione substantiae tradenda turpissime erravit Spinoza, cuius iudicio « per substantiam intelligitur id, quod in se est, et per se concipitur; hoc est, id, cuius conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat »*<sup>4</sup>.

*Probatur.* Si substantia dicatur id, quod in se est, esse essentiae, et esse existentiae, uti antea adnotavimus, distingui in ea non possent, ac proinde substantia eiusmodi esset, ut eius essentia existentiam includat. Item, si substantia dicatur id, cuius conceptus non indiget conceptu alterius rei, ipsa huiusmodi esset, ut non solum inhaerentiam in subiecto, sed etiam causam suae existentiae excludat. Atqui haec duo soli Deo conveniunt. Ergo ex definitione Spinosiana consequitur, quemadmodum i-

<sup>1</sup> Cf s. Bonav., *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, p. 1, a. 1, q. I ad arg.

<sup>2</sup> Cf s. Aug., *Soliloq.*, lib. II, c. 13, n. 23.

<sup>3</sup> Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Virtut.*, q. I, a. 3 ad 7.

<sup>4</sup> *Ethic.*, part. I, def. 3. Hanc spinosianam notionem substantiae Cousinus hac nostra aetate amplexus est; *Fragmens etc.*, Préf. à la 1<sup>e</sup> ed.

pse Spinoza docuit, solum Deum esse substantiam. Atqui consequens, ut in Theologia naturali ostendemus, est maxime absurdum. Ergo spinosiana substantiae definitio, ex qua illud consequens derivatur, veluti omnino absurda reiicienda est.

124. Prop. 3<sup>a</sup>. *Falsi sunt Leibnitius<sup>1</sup>, Kantius<sup>2</sup>, alique nuperi, qui substantiam causam, seu vim esse putarunt.*

*Probatur.* Substantia per se spectata non refertur ad aliud, quod ab ipsa fluit; notio autem causae substantiam denotat, prout haec refertur ad aliud, quod ab ipsa fluit, quodque effectus dicitur; quapropter notio causae aliquid complectitur, quod notione substantiae non continetur<sup>3</sup>. Atqui si notio causae aliquid complectitur, quod substantiae notione non continetur, alia profecto est notio *causae*, seu *vis*, alia notio *substantiae*. Ergo substantia *causa*, seu *vis* absolute dici nequit.

125. Prop. 4<sup>a</sup>. *Perperam Giobertius statuit substantiam positam esse in realitate, sive in negatione nihili, hoc est in principio operationis, per quam ipsa nihilum negat*<sup>4</sup>.

*Probatur.* 1<sup>o</sup> Si substantia in realitate, sive in negatione nihili, ac proinde in positione entis consisteret, non alia realitas, sive non alia positio entis admittenda esset, nisi substantia. Atqui hoc consecarium est absurdum, quia non solum substantia, sed etiam accidens est aliquid, quod nihilum negat, sive non-enti opponitur, ac proinde est aliqua positio entis. Ergo falsum est realitatem, sive negationem nihili esse illud, quod substantiam constituit.

2<sup>o</sup> Notio substantiae, uti paulo ante ostendimus, alia est a notione causae. Ergo substantia in eo consistere nequit, quod sit causa, sive principium operationis, per quam ipsa nihilum negat. Accedit quod si substantia constituitur ex eo, quod est principium operationis, per quam ipsa nihilum negat, dicendum est substantiam esse causam creatricem sui; nam, cum productio rei ex nihilo sit creatio, substantia, si se ipsam ex eo constituit, quod negat nihilum, profecto se ipsam creat: id quod abnorme esse alibi ostendimus<sup>5</sup>.

<sup>1</sup> *Nouveau système de la nature etc.*, p. 124-127, ed. Erdm.

<sup>2</sup> *Elementa metaphysica scientiae naturae* (germ.), p. 42, Riga 1797.

<sup>3</sup> Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. X, a. 1 ad 8.

<sup>4</sup> *Protol.*, Saggio I.

<sup>5</sup> *Idealog.*, c. I, art. 4, p. 198, vol. I.

ART. III. *Sententia s. Thomae circa principium, ex quo substantia fit individua, exponitur, et probatur*

126. In primis, in quo quaestio circa principium individuationis versatur, declarandum nobis est.

Notio perfectae substantiae, ut in *Logica* diximus<sup>1</sup>, non in generibus, et speciebus, sed in individuo invenitur. Iam individuum, seu singulare, secundum s. Thomam, dicitur illud, *quod est in se indistinctum*, ita ut in plura dividi non possit, proindeque, secus ac universale, tamquam aliquid pluribus commune intelligi nequeat; *ab aliis vero distinctum*<sup>2</sup>, ita ut sit hoc, et non illud, aut aliud.

127. Fundamentum, seu radix, ex qua substantia in suo esse individui constituitur, *individuationis principium* appellatur<sup>3</sup>. Quocirca quaestio de principio individuationis haec est, quid sit, ex quo substantia<sup>4</sup> singularitatem sumit, sive eius unitas indivisibilis in plura, et a quocumque alio divisa oritur. Eadem quaestio huc redit; quid sit, quo substantiae intra eandem speciem solo numero differant, et multiplicentur; nam unumquodque individuum a quocumque alio eiusdem speciei divisum intelligi nequit, quin individuorum multiplicatio, quae numerica dicitur, intelligatur, ac proinde eo ipso, quod principium indivi-

<sup>1</sup> Part. I, c. I, art. 6, p. 16, vol. I. — <sup>2</sup> I, q. XXIX, a. 4 c.

<sup>3</sup> Ex his patet quaestionem versari circa principium *formale*, seu *intrinsecum* individuationis, non vero circa principium *efficiens*, seu *extrinsecum*; quia perspicuum est principium effectivum esse causam agentem, ex cuius virtute aliqua natura efficitur *haec*, et non alia. Discrimen inter utrumque principium iam adnotavit s. Thomas; nam disserens de individuazione animae, inquit: « Principium individuationis oportet esse intrinsecum, sed impossibile est, quod Deus sit principium intrinsecum animae, vel alterius creaturae, et ita impossibile est, quod anima individuetur a Deo, tamquam principio intrinseco suae individuationis » (Opusc. *De princ. indiv.*). Haec s. Thomae verba eo consilio exscripsimus, ut falsitas sententiae Giobertii perspicatur, qui Huetium (*Récherches historiques, et critiques sur la vie, les ouvrages et la doctrine de Henri de Gand*, part. 2, § 6, p. 175 sqq, Gand 1838) secutus asseruit radicem individuationis in Deo, qui res creat, inveniri; *Introd.*, c. IV, t. II, p. 78, Bruxelles 1840.

<sup>4</sup> Diximus *substantia*, quia quaestio circa individuacionem accidentium non instituitur; perspicuum enim est accidentia ex subiecto, in quo sunt, individua fieri. Cf s. Thom., III, q. LXXVII, a. 2 c.

duationis exponitur, principium patefit, ex quo multiplicatio numerica existit.

128. Hisce praemonitis, nos s. Thomae doctrinae<sup>1</sup> adhaerentes, hanc Propositionem ostendimus:

*In substantiis materialibus principium individuacionis est materia, signata quantitate.*

*Probatur* 1<sup>a</sup> pars. Etsi principium individuacionis nequeat esse aliquid, quod ad essentiam rei spectat, quia individuatio non pertinet ad essentiam rerum creaturarum, tamen esse debet aliquid substantiale, seu quod ad ipsam esse substantiae referatur; nam individuatio substantiae, cum pertineat ad praedicamentum substantiae, ad aliquid substantiale, tamquam ad sui radicem, reduci debet<sup>2</sup>. Atqui esse substantiae materialis, ut suo loco explicabimus, ex materia, et forma constituitur. Ergo principium individuacionis ex alterutra necessario sumendum est<sup>3</sup>. Atqui forma tamquam huiusmodi principium admitti nequit, quia « forma, quantum est de se, nata est in pluribus esse<sup>4</sup> », unde « differentia, quae ex forma procedit, inducit diversitatem speciei<sup>5</sup> », non vero diversitatem individuorum, seu numericam; siquidem ea « quae conveniunt specie, et differunt numero, conveniunt in forma<sup>6</sup> ». Ergo principium individuacionis non nisi in materia ponendum est. « Differentia, quae ex materia procedit, inducit diversitatem secundum numerum<sup>7</sup> ».

129. *Probatur* 2<sup>a</sup> pars. *Materia signata quantitate* dicitur ma-

<sup>1</sup> Cf *De princ. individ.*, *De Ente, et ess.*, c. 2; *In lib. II Sent.*, Dist. III, q. I, a. 4, sol. 3 ad 3, et alibi.

<sup>2</sup> Cf *Super Boët. de Trin.*, lect. I, q. II, a. 2 ad 4. Huc spectant illa D. Bonaventurae: « Nec potest habere veritatem, quod distinctio individualis sit ab accidentibus, cum individua differant secundum substantiam »; *In lib. II Sent.*, Dist. II, pars I, a. 2, q. 2 *resol.* At vero accidentia, ut idem Doctor monet, etiamsi *individuationem non faciant*, tamen eam *ostendunt* (*ibid.*); nempe nos rem esse individuum cognoscimus, quia in ipsa eiusmodi accidentia invenimus, quae omnia simul in nulla alia re extant; unde individuum in *Logica* (part. I, c. I, art. 1, p. 9, vol. I) definivimus id, quod ex proprietatibus ita determinatis constat, ut haec omnes eadem alii convenire nequeant. — <sup>3</sup> I, q. XL, a. 2 c. — <sup>4</sup> *In lib. I Met.*, lect. V, *Contr. Gent.*, lib. II, c. 93. — <sup>5</sup> I, q. L, a. 4 c.

<sup>7</sup> *Contr. Gent.*, loc. cit. Quare forma, quae in se spectata communis pluribus esse potest, ratione materiae efficitur *haec*: « Individuatio formae est ex materia, per quam forma contrahitur ad hoc determinatum »; *Quodlib. VII*, a. 3 c.

teria non absolute spectata, sed prout essentialem ordinem habet ad quantitatem, quae est *prima eius dispositio*<sup>1</sup>. Hoc posito, ita argumentamur: Impossibile est causam gignere effectum, qui sibi repugnat, seu per aliquod sibi repugnans principium; quapropter materia, ut principium individuationis, quod nempe numericam divisionem substantiarum constituit, esse possit, intelligenda est non prout communis, et indivisa est, sed prout divisionis est capax. Atqui materia, si in se absolute spectetur, communis, atque indivisa est, et non nisi a quantitate *habet, quod dividatur*<sup>2</sup>; unde « separata quantitate a substantia, remanet indivisibilis<sup>3</sup> ». Ergo ordo ad quantitatis dimensiones<sup>4</sup> in materia assignandus est, ut ipsa individuationem efformet<sup>5</sup>.

130. Ex iis, quae de principio individuationis substantiarum materialium diximus, conficitur generatim statuendum esse non nisi materiam *signalam quantitate* tamquam principium individuationis, intelligi posse. Etenim illud esse debet principium

<sup>1</sup> III, q. LXXVII, a. 2 c.

<sup>2</sup> In lib. IV Sent., Dist. XII, q. I, a. 1, sol. 3 ad 3.

<sup>3</sup> In lib. II Sent., Dist. III, q. I, a. 4 sol.

<sup>4</sup> Quenam sint dimensiones quantitatis explicavimus in *Logica*, part. I, c. I, art. 7, p. 16, vol. I.

<sup>5</sup> Hac in re duo monere praestat. Primum est, quod principium individuationis esse dicitur materia, prout ordinem ad quantitatem habet, non vero prout quantitas actu ei inhaeret; tum quia quantitas, prout materiae actu inhaeret, iam *individuata* est, proindeque *individuans* esse nequit; tum quia quantitas, quae actu inhaeret materiae, est aliquod accidens, ac proinde per ipsam principium individuationis, quod, ut diximus, aliquid substantiale esse debet, explicari nequit; alioquin inter hoc, et aliud individuum non substantialis distinctio, sed illa, quae, e. g., inter bicubitum, et tricubitum est, intercederet. Alterum est, quod dimensiones quantitatis, ad quas materia, prout principium individuationis est, ordinem habet, accipiendae sunt *sub ratione dimensionum tantum*, non vero prout *terminantur secundum determinatam mensuram, et figuram*, sive prout sunt haec, vel illae dimensiones. Etenim dimensiones, prout haec, vel illae sunt, variationibus subiiciuntur; quapropter, si essent eae, quae ad individuationis principium concurrunt, individuum, cuius partes saepe mutantur, semper idem numero non maneret. E contrario, dimensiones, si *sub ratione dimensionum tantum* spectentur, relationem ad situm dumtaxat exhibent; unde, etiamsi partes mutantur, et posteriores prioribus succedant; tamen, quia in eodem situ sunt, individuum idem permanet. E. g., quamvis dimensiones in corpore hominis dilatentur, et contrahantur, tamen idem remanet individuum, quia dimensiones eundem situm semper retinent. Cf s. Thom., *Super Boët.* etc., q. cit., a. 2 c.

individuationis, quo primo posito, ponitur individuatio, et, quo primo ablato, illa aufertur. Atqui, posita *signata* materia, ponitur primo individuatio, eaque ablata, aufertur. Ergo non nisi materia *signata* principium individuationis esse potest. Assumptio ex eo probatur, quod, posita forma, non ponitur individuatio, cum forma ex se sit communis, sed, posita materia signata, statim habetur individuum; illud enim, quod sub hac materia existit, neque cum aliis commune fieri, neque a seipso dividi, neque dici de subiecto potest<sup>1</sup>; quae omnia, ut omnes norunt, individuum constituunt.

131. Quod si principium individuationis non nisi ex materia repetendum est, haec nullo negotio intelliguntur: 1° Animae humanae, quippe quae sunt immateriales, sed tamen ad coniunctionem sui cum corporibus naturaliter destinantur, ex eo sunt individuae, quod ordinem ad sua corpora habent.

2° Substantiae mere spirituales, quas Angelos sacrae Literae appellant, cum neque in seipsis materiam habeant, neque ad coniunctionem sui cum materia destinantur, non admittunt aliquod principium, per quod numerice inter se differunt, sed ex seipsis individuae fiunt<sup>2</sup>.

3° Denique, Deus, cum omnino simplex, et purissimus sit, est se ipso summe unus, et individuus, sive, ut s. Thomas inquit, « divina Bonitas et Esse individuantur ex ipsa sui puritate, per hoc scilicet, quod ipsa non est recepta in aliquo<sup>3</sup> ».

ART. IV. De discrimine inter substantiam completam et incompletam

132. Substantia *completa* ea dicitur, quae ad coniunctionem

<sup>1</sup> Individuum, cum nullo modo in subiecto sit, de subiecto praedicari nequit; e. g. impropria esset haec praedicatio, *Socrates est hic homo*.

<sup>2</sup> « Forma, quae non est receptibilis in materia, sed est per se subsistens, ex hoc ipso individuatur, quod non potest recipi in alio » (I, q. III, a. 2 ad 3). Quoniam substantiae Angelicae per seipsas individuantur, s. Thomas inde confecit ipsas specie inter se differre, ita ut duo Angeli eiusdem speciei inveniri nequeant (*Ibid.*, q. L, a. 4 c.). Hoc quidem, ut idem sanctus Doctor advertit, non fit ex eo, quod natura cuiusque Angeli per se spectata in pluribus esse nequit, nam « forma, quantum est de se, nisi aliquid aliud impediatur, recipi potest a pluribus » (*ibid.*, q. III, loc. cit.); sed ex eo, quod, cum « omnis materiae sit expers, non inveniuntur subiecta, in quibus multiplicetur »; Cf *Qq. disp.*, q. un. *De sp. cr.*, a. 8 ad 4.

<sup>3</sup> In lib. *De Causis*, lect. IX. Sed de hac re in *Theologia naturali*.

sui cum altera substantia non destinatur; e.g. *homo totus, planta, sol*, etc. Incompleta est ea, quae destinatur ad coniunctionem sui cum altera substantia, cum qua unum compositum substantiale efformet; e. g. *anima hominis* <sup>1</sup>.

133. Iam substantiae incompletae sunt quidem *per se*, quia non inhaerent alteri, veluti subiecto, proindeque ab accidentibus distinguuntur; sed, prout totum substantiale compositum efformant, non nisi in ipso substantiali composito perficiuntur. Substantiae autem completae non sunt in aliquo, tamquam in subiecto, neque in aliquo, tamquam in toto, proindeque iure dicuntur esse *sui ipsius*, nempe absoluta ratione *per se*, et non in alio existere.

134. Quod si substantia completa est *sui ipsius*, consequitur proprium quoque illius esse, quod quidquid agit, sibi agit. E contrario substantiae incompletae, quippe quae non sunt *sui ipsius*, quidquid agunt, non sibi, sed subiecto, a quo perficiuntur, agunt. E. g., quidquid Angelus operatur, operatio ei tribuitur, at, cum manus hominis percutit instrumentum, non proprie manus, sed homo per manum agere dicitur.

135. Actus, sive perfectio, per quam substantia completa existit, *subsistentia* appellatur. Quare subsistentia ita defini solet: *Actualitas, seu perfectio, per quam natura fit sui ipsius, et non alterius*; vel etiam, *perfectio, per quam natura ultimo completur, et terminatur, ita ut sit, et operetur, quin cum altera se communicet*.

ART. V. Notiones suppositi, et personae declarantur

136. Subsistentia concrete sumta dicitur *suppositum*; quocirca suppositum est *substantia individua, et completa incommunicabiliter subsistens*. Quod si suppositum intelligentia perfruatur, digniori nomine *personae*, vel *hypostasis* nuncupatur, eaque secundum Boëtium vulgo definitur: *Naturae rationalis individua substantia*.

137. Haec *personae* definitio ita explicatur: 1<sup>a</sup> Persona debet esse *substantia*; accidens enim, cum nullo modo in se existat,

<sup>1</sup> De diversa ratione, quae inter animam humanam, et alias substantias incompletas existit, suo loco dicemus.

sed in subiecto insit, nequit esse aliquid *subsistens*, ac proinde nequit esse *persona* <sup>1</sup>.

2<sup>o</sup> Cum persona dicitur *individua*, tria significantur<sup>2</sup>. Scilicet primo, persona debet esse quaedam substantia singularis, ac proinde non potest, quemadmodum natura universalis, esse communis pluribus<sup>3</sup>; unde personalis tessera in *tali modo existendi* consistere dicitur<sup>3</sup>. Secundo, debet esse substantia completa; ita ut non possit communicari alteri substantiae, cum qua compositum substantiale efficiat<sup>4</sup>. E. g. « anima separata est pars rationalis naturae, scilicet humanae, et non tota natura rationalis hominis, et ideo non est persona <sup>5</sup> ». Tertio, debet habere subsistentiam propriam sibi<sup>6</sup>, ita ut persona dici nequeat illa natura, quae etsi singularis, et completa sit, tamen quia assumitur a persona excellentiori, propriam hypostasim amittit, atque in illa excellentiori hypostasi, a qua assumitur, subsistit<sup>7</sup>.

3<sup>o</sup> Illa vox *rationalis* additur, ut subsistentia cuiuslibet naturae singularis completae ab illa, quae propria intellectualis naturae est, distinguatur<sup>8</sup>.

138. Ex notione personae, quam tradidimus, illud etiam percipitur, personam esse integrum operationum suarum principium, quippe quod nulla natura aliquid agit, nisi iam subsistat. Hinc illud effatum, *Actiones sunt suppositorum*, nempe, etsi natura fons sit, et principium, quo operationes eliciuntur, tamen *suppositum*, seu *persona* est integrum, et completum principium, quod operatur.

<sup>1</sup> Cf s. Thom., *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. IX, a. 2 c.

<sup>2</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XXV, q. I, a. 1 ad 7.

<sup>3</sup> *Qq. dispp.*, *ibid.* ad 1. — <sup>4</sup> *In lib. I Sent.*, loc. cit.

<sup>5</sup> *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. IX, a. 2 ad 14.

<sup>6</sup> *In lib. I Sent.*, loc. cit.

<sup>7</sup> Id in ss. Incarnationis mysterio evenit, quia, cum humana natura a Verbo assumpta fuit, « Persona divina, ut Aquinas ait, sua unione impedit, ne humana natura propriam personalitatem haberet » (III, q. IV, a. 2 ad 3). Unde « naturae assumptae non deest propria personalitas propter defectum alicuius, quod ad perfectionem humanae naturae pertineat, sed propter additionem alicuius, quod est supra humanam naturam, quod est unio ad divinam personam »; *ibid.*, ad 2.

<sup>8</sup> I, q. XXIX, a. 1 c.

ART. VI. *Nonnullae absurdae opiniones  
circa notionem personae refelluntur*

139. Aliqui ex hodiernis Germaniae Theologis personam definiunt, *naturam sui consciam*<sup>1</sup>. Horum sententia valde affinis videtur opinioni Lockii, qui *identitatem* personae in conscientia propriarum actionum, seu in actu, quo quisque operationum suarum est conscius, ponendam esse censuit<sup>2</sup>.

140. Prop. 1<sup>a</sup>. *Persona perperam definitur, natura sui conscia.*

*Probat*ur 1<sup>o</sup>. Conscientia est actus, quo natura intellectrix se, suasque operationes cognoscit. Atqui, aiente s. Thoma, « actus omnis est rei subsistentis, et perfectae<sup>3</sup> », nempe suppositi, et personae. Ergo conscientia personam iam constitutam exposulat, tantum abest, ut illam constituat.

2<sup>o</sup> Si persona in conscientia posita esset, anima etiam sine corpore persona esse posset, quippe quod ipsa corpore non eget, ut sui conscientiam habeat. Atqui sola anima, utpote substantia incompleta, persona esse nequit. Ergo persona ex conscientia sui ipsius exurgere non potest.

3<sup>o</sup> Hi, qui hanc novam definitionem personae tradunt, si sibi constare velint, doceant necesse est homines, cum sine conscientia sui ipsius nascentur, minime nasci uti personas, sed annorum cursu fieri personas, proindeque infantes, priusquam mentis suae compotes fiant, haudquaquam esse personas, eoque demum tempore personas effici, quo eorum anima ad seipsam redit. Atqui haec plane inaudita Theologis, et Philosophis sunt; hi enim omnes hominem, tamquam personam, nasci, terminaque generationis non nisi personam esse concorditer docent. Ergo.

141. Prop. 2<sup>a</sup>. *Identitas personae in conscientia propriarum actionum poni nequit.*

*Probat*ur fere eisdem argumentis. Et sane, 1<sup>o</sup> sicut persona, ita eius identitas conscientiam praecedat. Ergo sicut persona, ita eius identitas in conscientia posita esse nequit.

2<sup>o</sup> Si personae identitas a conscientia nostrarum actionum pen-

<sup>1</sup> Cf. prae caeteris Zucrigè, *Defensio scientifica theoriae christianae Trinitatis* (germ.), Viennae 1846.

<sup>2</sup> *Op. cit.*, lib. II, c. 27. § 9.

<sup>3</sup> *In lib. I Sent.*, Dist. XXIV, q. I, a. 1 ad 1.

deret, nos in somno, in quo illa conscientia destituimur, non eadem persona essemus, ac in vigilia; immo, cum in ipsa vigilia praeteritarum actionum unico actu numquam remiscamur, eadem, et non eadem personam simul essemus; eadem quidem ob memoriam aliquarum actionum, non eadem vero propter aliarum oblivionem<sup>4</sup>.

ART. VII. *Exsolvuntur nonnullae quaestiones  
circa notiones suppositi, et personae*

142. Circa notiones suppositi, et personae haec duae quaestiones agitantur: 1<sup>o</sup> utrum, necne in rebus creatis sit realis distinctio inter naturam singularem, et subsistentiam, quae, uti diximus, suppositi, seu personae propria est<sup>2</sup>; 2<sup>o</sup> utrum subsistentia sit aliquid positivum, an mera negatio.

Prop. 1<sup>a</sup>. *In rebus creatis natura a subsistentia realiter distinguitur.*

*Probat*ur. Si natura singularis, prout natura est, subsistentiam non praesefert, haec tamquam aliquid ab ipsa realiter distinctum censenda est. Atqui natura, etsi singularis, imo completa sit, tamen actualem sui subsistentiam non includit, nam,

<sup>4</sup> Si quis quaerat undenam identitas nostrae personae repetenda sit, ei in memoriam revocamus personam in homine non esse solam animam, aut solum corpus, sed aliquid ex anima, et ex corpore compositum, cuius subsistentia, ut in *Anthropologia* ostendimus, constituitur ex *esse*, quod anima cum corpore communicat. Iam anima, utpote substantia intellectualis, ideoque experta partium, nequit substantialiter mutari. Corpus vero, etsi partium mutationem experiri queat; tamen, quamdiu cum anima coniungitur, idem numero manet. Cuius ratio est, quia numerica corporis identitas, ut ex iam dictis (p. 46, not. 5) patescit, ex eo oritur, quod eadem partium dimensiones secundum situm permanent; haec autem dimensiones in nostro corpore, quamdiu cum anima coniungitur, numquam mutantur, e. g., sive homo sit puer, sive adolescens, sive vir, sive senex, caput, et ceterae eius corporis partes semper eundem situm habent. Hinc, quoniam eadem substantia animae *esse* suum cum corpore eodem numero communicat, eadem dicenda est hominis persona, sive eadem, sive diversae eius operationes sint.

<sup>2</sup> Diximus *naturam singularem*, nam quaestio circa naturam, prout essentiam rei significat, non versatur; si enim, uti iam ostendimus (p. 15-16), existentia in rebus creatis ab essentia distinguitur, dubitari non potest, quin subsistentia quoque ab ipsa distinguatur (cf. s. Thom., *Quodlib.* II, a. 4 c.). Diximus etiam *in rebus creatis*, certum enim est Divinas Personalitates a natura *ratione* tantum distingui.

PHILOS. CHRIST. Compend. II.

etsi ob eius singularitatem excludat illam *communicabilitatem*, secundum quam universale communicatur cum particularibus, tamen non excludit *communicabilitatem* cum illo, quod ipsam ultimo *terminat*, seu perficit <sup>1</sup>. Quod adeo verum est, ut natura singularis, ut diximus, ab aliena subsistentia perfici possit, quemadmodum de natura humana Christi a Verbo assumpta factum esse docet Fides. Ergo in rebus creatis natura a subsistentia realiter distinguitur.

143. Prop. 2<sup>a</sup>. *Subsistentia est aliquid positivum, non mera negatio.*

*Probatur* contra nonnullos Scotistas, qui putant subsistentiam idcirco in mera negatione consistere, quia ipsa id dumtaxat efficit, ut natura cum altero communicari nequeat. Natura ex subsistentia valde perficitur, quippe quod per ipsam ita sui iuris fit, ut ei non solum non sit opus, sed ne possibile quidem sit se cum altera communicare. Atqui aliquid perfici non potest, nisi per id, quod est positivum, et reale. Ergo subsistentia in mera negatione posita non est <sup>2</sup>.

ART. VIII. De accidente

144. Sicut substantia est res, cui esse non in alio convenit; ita *accidens* est res, cui convenit esse in alio, tamquam in subiecto; siquidem accidens nuncupatur ille specialis modus essendi, qui modo, quo substantia est, opponitur <sup>3</sup>.

145. Accidentia in *absoluta*, et *modalia* distinguuntur; nempe ipsa accidentia, quae substantiam efficiunt, *absoluta* appellantur; modi autem, secundum quos accidentia substantiam efficiunt, accidentia *modalia* dicuntur. E. g., motus est accidens absolutum, segnities autem, vel velocitas motus est accidens

<sup>1</sup> Unde s. Thomas monet singularitatem naturae efficere, ut ipsa sit haec natura, non vero hoc subsistens. In *lib. III Sent.*, Dist. II, q. II, a. 1, sol. 3 ad 2.

<sup>2</sup> Cf s. Thom., I, q. XXX, a. 3 c. Quod si quaeratur, quodnam sit hoc positivum, quod subsistentia supra naturam addit, responderi potest esse quemdam modum, quo natura ultimo completur, sive terminatur, fitque sui iuris.

<sup>3</sup> Hic agimus de accidente *physico*, seu praedicamentali, non vero de accidente *logico*, seu praedicabili. Discrimen inter utramque accidentis speciem explicavimus in *Logica*, part. I, c. I, art. 6, p. 15, not. 3, vol. I.

modale; item, calor aquae est accidens absolutum, intensio autem caloris est accidens modale.

146. Ut notio accidentis peritus intelligatur, veritatem harum propositionum, quas Scholastici docuerunt, et plerique philosophi recentiores inficiantur, demonstremus oportet:

Prop. 1<sup>a</sup>. *Esse accidentis, etsi ab esse substantiae dependeat, tamen ab hoc reapse distinguitur.*

*Probatur.* Accidens est aliquid, quod substantiae additur, aut ab ea demitur, unde ex accidentibus fit, ut substantia aliquem modum, sive statum accipiat, vel amittat. Atqui impossibile est unam, eandemque rem sibi ipsi addi, aut a seipsa separari. Ergo *esse* accidentis unum, idemque cum *esse* substantiae dici non potest, ac proinde *esse accidentis* ab *esse* substantiae reapse distinguitur opus est <sup>1</sup>.

147. Prop. 2<sup>a</sup>. *Accidentia absoluta<sup>2</sup> ex virtute Divina<sup>3</sup> existere possunt, quin actu inhaereant substantiae.*

*Probatur.* Omnia, quae intrinsecus non repugnant, a Deo effici possunt. Atqui intrinsecus non repugnat, accidens absolutum actu existere seorsum a substantia, a qua naturaliter pendet. Ergo,

148. *Minor* probatur hunc in modum: Accidens, etiamsi actu non inhaereat suae substantiae, tamen propriam accidentis essentiam non amittit; nam ad essentiam accidentis pertinet quidem necessario habere ordinem ad substantiam, ita nempe, ut *exigat* esse in subiecto, quia *esse* accidentis ab *esse* substantiae pendet, sed non pertinet *actu* inesse substantiae, quia *esse* accidentis ab *esse* substantiae distinctum est. « Accidens, inquit s. Bonaventura, quamvis non sit in subiecto, non tamen separatur a sua diffinitione, imo ei convenit, quia aptum est esse in

<sup>1</sup> Cf s. Aug., *De Trin.*, lib. VII, c. I, n. 2, et s. Thom., *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 14.

<sup>2</sup> Idem de modis dici nequit. Etenim, etsi modus revera distinguitur a re, cuius est modus, tamen sine hac nequaquam esse potest, quia modus, aiente s. Augustino (*De Gen. ad litt.*, lib. IV, c. 5, n. 7), est *quaedam mensura, quae rei praefigitur*, ac proinde repugnat aliquid esse modum alicuius rei, quam revera non mensurat. Cf s. Thom., *In lib. IV Sent.*, Dist. XVI, q. III, a. 1, sol. 2 ad 4.

<sup>3</sup> Diximus ex virtute Divina; omnes enim in eo consentiunt, quod accidenti naturaliter convenit inesse suae substantiae, ac proinde *ex virtute* naturali non potest seiunctum ab illa existere.

subiecto <sup>1</sup> ». Atqui illud, quo rei essentia non destruitur, intrinsicus non repugnat. Ergo intrinsicus non repugnat accidens absolutum actu existere seorsum a substantia, a qua naturaliter pendet <sup>2</sup>.

149. Obiic. Si accidentia existerent sine subiecto, re ipsa existerent per se, unde essent verae substantiae. Atqui repugnat accidens existere per se. Ergo accidens ne virtute quidem Divina seiunctum a subiecto existere potest.

150. Resp., *Neg. mai., conc. min., neg. cons.* Et sane accidentia, quamdiu seiuncta a subiecto existunt, *sustentantur* a Deo, ita tamen, ut eo, quo diximus, modo ordinem servant ad substantiam. Quocirca, cum sustententur a Deo, non subsistunt per se, quod est proprium substantiae, et cum ordinem servant ad subiectum, naturam accidentium non amittunt <sup>3</sup>. Quin autem accidentia possint a Deo sustentari, dubitandum non est; nam, ut optime s. Thomas observat, sicut Deus potest effectus causarum naturalium producere sine naturalibus causis, sic potest *tenere in esse* accidentia, *subtracta substantia, per quam conservabantur in esse* <sup>4</sup>.

<sup>1</sup> *In lib. IV Sent., Dist. XII, part. I, a. 1, q. I ad arg.*

<sup>2</sup> Quod si aliqua accidentia sint, quae sine suis subiectis actu esse haud concipi possunt, huius ratio non ex eo, quod sunt accidentia, sed ex eo, quod talia accidentia sunt, desumenda est. E.g., intellectio humana non nisi in intellectu humano esse potest, non prout accidens est, sed prout actio humana est.

<sup>3</sup> « Comparatio, inquit idem Seraphicus Doctor, accidentis ad subiectum secundum aptitudinem est essentialis, et haec numquam privatur ab accidente »; *Op. et loc. cit. in resol.*

<sup>4</sup> III, q. LXXVII, a. 1 c. et ad 2. Hac de accidentibus absolutis theoria Scholastici facile explicant, quomodo in venerabili Eucharistiae Sacramento, peracta consecratione, species panis, et vini permanere non repugnet (Cf s. Thom., *Quodlib. IX, a. 5 c.*, et s. Bonav. *In lib. IV Sent., loc. cit.*). Nonnulli recentes Theologi, cum doceant omnia accidentia esse modos, ac proinde fieri non posse, ut accidentia a substantia unquam separentur, contendunt accidentia in illo Sacramento non remanere, sed eorum sensationes a Deo in nobis excitari; Deus enim afficit organa sensoria eodem prorsus modo, quo a pane, et vino naturaliter affici solent. Litem istam dirimere nostrum non est. Dumtaxat his recentibus in memoriam revocamus receptam a tota Ecclesia doctrinam Catechismi Romani, Tridentinae Synodi interpretis, quae haec est: « Quoniam ea accidentia Christi Corpori, et Sanguini inhaerere non possunt, relinquuntur

## CAPVT VIII.

## De secunda, tertia, et quarta categoria

151. « Omnis res, ut s. Thomas ait, est vel substantia, vel accidens <sup>1</sup> »; quocirca si prima categoria est substantia, reliquae novem categoriae accidentia sint oportet. Ea, quae ad *quantitatem, relationem, et qualitatem* spectant, unico capite complectemur, quippe quod, cum de iis iam in *Logica* disputatum nobis sit, non nisi pauca, quae ad earum notiones *ontologice* consideratas maxime pertinent, modo adiiciamus necesse est.

## ART. I. De quantitate

152. Circa quantitatem in primis illud, quod in *Logica* innuimus, uberius explicandum nobis est; nempe quantitatem positam esse in divisibilitate, seu in eo, quod in partes eiusdem naturae dividi potest.

Prop. *Essentia quantitatis non in extensione partium in ordine ad se, seu interna, neque in extensione partium in ordine ad locum, seu externa* <sup>2</sup>, *sed in divisibilitate posita est.*

*Probat*ur <sup>1</sup> pars contra Goudinum <sup>3</sup>, aliosque paucos. In aliquo uno, prout est *quantum*, plura intelligere non possumus, nisi ipsum capax divisionis iam antea intelligatur; unde s. Thomas ait: « Divisio causat multitudinem <sup>4</sup> »; quapropter multitudo partium non tanquam primum, ex quo cetera in quantitate exurgunt, intelligitur. Atqui illud, quod non intelligitur tanquam primum, et tanquam radix, ex qua cetera exurgunt, quae in re sunt, essentia ipsius rei non est. Ergo essentia quantitatis in extensione partium ad se comparatarum posita esse non potest.

ut supra omnem naturae ordinem ipsa se, nulla alia re nisa, sustentent. Haec perpetua, et constans fuit Ecclesiae doctrina »; Pars II, c. 4, n. 44.

<sup>1</sup> *Qq. disp., De Pot., q. VIII, a. 2 c.*

<sup>2</sup> Extensio partium, si priori significatione accipiatur, ea est, qua partes ita inter se comparantur, ut una extra aliam sit in ordine ad se, e.g., caput extra collum, et collum extra humeros, quin aliquid de loco concipiatur, in quo extendi possunt. Sin posteriori significatione, est ea, qua partes ita inter se comparantur, ut una sit extra aliam in ordine ad locum, e.g., si caput sit suprema loci pars, pectus media, pedes infima.

<sup>3</sup> *Philos. iuxta inconcussa D. Thomae dogmata; Log. mai., part. I, q. III, art. 1.* — <sup>4</sup> *Qq. disp., De Pot., q. IX, a. 7 c.*